



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Modi LX Sacrae Orationis variè Formandæ

Kojałowicz, Kazimierz Wijuk

Antverpiae, 1668

Modus XXVIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69292)

in sua religione constantes, tractandam. Ubi vero fideles infidelibus, ac hæreticis miscentur, magna utilitate id fieri potest, dummodo concionator, sedulus, ac studiosus sit, nec quibusvis argumentis sed robustissimis utatur.

P R A X I S.

In Festo Gloriosissimæ Ascensionis
D. N. J. C.

*Assumptus est in caelum, & sedet à dextris Dei.
Marc. 16.*

Accessus & Propositio. Jo Triumphe! Christianum hodie esto, quod Carotianum habetur Symbolon: *Christus vivit, Christus regnat, Christus triumphat.* Jo triumphe! Dominus regnavit, decorem indutus est. Dominus regnavit, exultet terra, si fidem das, quam negare non potes Regio Psalti. Christi scilicet Ascensio, nostræ lætitiæ, & gaudiorum, est proVectio; quod dum palam fecerit, obstaculum quoddam, ejusdem lætitiæ, ab adversariis religionis objici solitum; altera parte sermonis rejiciam.

Confirmationis prima pars, Doctrinalis.

Ascensionē Christi esse nostræ lætitiæ proVectio-
nē. Os aureū aureusq; prædicator gentiū, D. Paulus cum hodiernæ diei acta Hæbræis denuntiat, hac illos cap. 6. affatur sententia. *Præcursor pro me*

bis introiuit Iesus. O felicem nuntium? O ve-
 ram lætitiã! O augustam gaudii suadam! quæ,
 cum multa concludit, tum verò illud potissimum
 inculcat; Christi ascensionem nostræ lætitiæ esse
 profectionem. Quæ enim, veræ lætitiæ Major
 materia? quæ justior gaudii causa? homini æter-
 nitatem suspicienti, exhiberi potest, quàm illa? quâ
 spes ejus ad possessionem æternæ felicitatis obtinendæ
 erigitur? At h. e. quod nobis Christi Ascensio exhi-
 bet, quãdo qui ascēdit, *præcursor pro nobis introiuit,*
 ut impleat quod discipulis dixerat. *Vado parare vo-
 bis locum* Joan. 14. Hinc Augustin. in solil. *Vbi caro
 mea regnat, ibi me regnaturū spero.* & D. Leo. serm. 1.
*de assum. quo præcessit gloria capitis: eo spes vocatur,
 & corporis.* Apud inferos emancipatio nostra est,
 & stipulatio nostra in cælis, ait Tertul. de fuga in per-
 sec. sublatae sunt portæ sempiternæ, ut introiret
 Rex Gloriæ, Dominus virtutum: hominem de
 terris; imo ab inferis mercatus in cælos. Et contra
 Gnostic. Scito, & ascensum illum, exinde compla-
 natum vestigiis Domini: & introitum, exinde rese-
 ratum, viribus Christi: nec ullam moram aut questio-
 nem, in limine occursum Christianis, qui non digno-
 sci habeant illic, sed agnosci; nec interrogari, sed ad-
 mitti. Nam etsi adhuc putas clausum cælum, memen-
 to claves ejus hic Dominum Petro, & Petrum Eccle-
 siæ reliquisse. Nos Christi mors vivificat, inquit,
 idem confirmans August. Ser. 176. nos Resurrectio
 erexit, nos Ascensio consecravit. In illo nostra ori-
 ginis corpore, cælestibus regnis, arrham nostræ condi-
 tionis imposuit. Gen. 4. 5. dicebat Joseph ad fratres
 trepidos. *Pro salute vestra misit me Deus, ante*

vos, atque ut id probaret, copiosis primum muneribus oneratos: habitatores Ægypti, cui præerat, quam primum facere studuit. An non eadem vos triumphatoris hodie Christi? an non res & magnificentia, quo excellentior, eo illius in nos beneficentiæ, testis copiosior? salutarisque spei motus validior? Quid est dicere? *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creature. Qui crediderit & baptisatus fuerit, hic salus erit, nisi palam profiteri, quod pro salute vestra misit me Deus ante vos.* Quid est? gratiam miraculorum & benedictionem liberalissimam Divinarum manuum ut habetur Luc. 14. conferre? nisi muneribus celestibus ad obtinendi regni cælestis spem, erigere. Parum tamen visum summæ benignitati, hac beneficentia nobiscum agere; nisi, quod nos sperare deberemus, id de factis, beatissimis præstaret Patriarchis, atque *ascendens in altum, captivam duceret captivitatem* quam in spiritu suspiciens David, ad nos provocavit. Psal. 67. *Rex virtutum, dilecti, dilecti, & speciei domus dei videre spolia, id est. Eja exultate, Christiani dilecti* quia Christus salvator humilis; gloriosus hodie super omnes cæli ascendit regnatque virtutes; non aliter ascendit ac regnat, quam, ut hominibus, speciosissima domus cæli dividat spolia; à devicto humani generis hoste, gloriosissimè hodie vindicata. Surgamus animis, surgamus lætitiâ, quando spes nostra, ascendente Christo eo provec̃ta est, ut liceat illi, juxta D. Pauli ad Hebr. 6. *incedere usque ad interiora velaminis, id est in cælum* hactenus velatum hodie ita revelatum, quod unusquisque optimo jure dicit

dicit

dicere possit, quod edixit lib. 4. ep. 31. Seneca. *Sub-
silire in calum ex angulo quovis licet : Exarge modo
O vir Christiane, & te quoq; dignum, finge Deo.* Hoc
age, & ascensione Christi evectus, spe quoque &
latitia, felici provehere.

Confirmationis Pars Secunda, controversa
de Christi Domini reali præsentia in Eucharistia.

Ecce verò dum omni merito gaudemus, gaudiū
nostrum magna parte tollere nobis vult Geneven-
sis Doctor; lib. 4. c. 17. n. 27. Christum inquit, a-
scendisse in cælos gaudes: ac inde spe ad illum pro-
veheris: vide, ut aut falleris, aut caperis Romane. Si
enim neget ascensū caperis: si affirmes & gaudeas,
falleris: cum ea ratione, tibi & tuæ Ecclesiæ, præ-
sentiam Christi, quam in Eucharistia asseris, eripis;
quod meritò justam tristitiam cuivis pariat. Quis e-
nim eam sequelam insolubilē non agnoscat? Chri-
stus ascendit in cælum, & sedet ad dexteram Dei,
igitur non est in Eucharistia! sed pro! incautum ne
dicam graviora, magistrum; qui sibi, de Christo lo-
quenti credi vult, & Christo, de Eucharistia dicenti,
Hoc est Corpus meum fidem negat. Non sunt huma-
næ virtutis, quæ loquimur opera, sed Divinæ po-
tentia; per quam ita Christus ascendit in cælos, &
sedet ad dexteram Patris; ut idem Christus, verè &
substantialiter sit præsens in Eucharistia. Idem
enim qui dixit *Vado ad Patrem*, dixit pariter
Matth. 28. v. 9. *Ego vobiscum sum, usq; ad con-
summationem sæculi*, spondens utiq; ita se discessu-
rum, ut non nos relinqueret: ita nobiscum versa-
turum, ut Patris sedem obtineret non duplex
Christus, sed idem ac unus in plurib. locis existens,

non ita descendens ad altare ut deserat cælum, sed ita existens, sub speciebus, ut earum substantiam in substantiam corporis & sanguinis sui ad verba consecrationis transmutet, an verò semel prolatum hominis verbum, in mille auribus hominum diversorum esse potest? divinæ autem illud potentiae non liceat, quod Christus existens in cælo, constituetur simul, in templis & altaribus? At audiamus Greg. Niss. lib. de San. Baptismo, aliud longe ab hoc magistro docentem: *Panis iste, panis est initiis communis, sed ubi eum verbum sacrificaverit, corpus Christi, & dicitur, & est.* Audiamus August. in capite *utrum* sub figura, de Consecr. distinct. 2. *Fideliter fatemur, ante consecrationem panem esse & vinum, quod natura formavit: post consecrationem vero, carnem Christi & sanguinem esse, quod benedictio consecravit? ubi eras Calue? cum hæc sacratissimi viri profiterentur? ubi eras, cum ante hos, à prima Christi & Apostolorum ætate, tota Ecclesia, (ut citatio omnis seculi autoritatibus, late probat Bellarm. lib. 2. de Eucharistia) in idem consentiret! imo ubi eras, cum jam esses in tempore, & abesses à te, ac te, ac tuo ingenio in Matth. 26. caput hoc scribens. *Verè, in cæna, nobis datur corpus Christi, ut sit animis nostris in cibum salutarem: hoc est, substantia corporis Christi, pascuntur animæ nostræ, ut verè unum efficiamur cum eo, & lib. 4. instit. cap. 17. In sacra sua cæna, jubet me sub symbolis panis ac vini, corpus & sanguinem sumere, nihil dubito, quin & ipse verè porrigat, & ego percipiam.* Omnia mobile ingenium: quod tam disertè asserta, rursus*

rursus non semel deserit, & nostram lætitiã tur-
 baturus inclamat. Qui ascendit, nunquid & de-
 scendit! Ita omnino. Nam quemadmodum qui
 descendit, ipse est qui ascendit: ita qui ascendit, i-
 pse est qui & descendit, non passibus corporis, sed
 admirabilis viq; dignatione, ut qui descendit de cœ-
 lis, asserente symbolo Catholico in uterũ virginis,
 non deserto cælo; idem etiam nunc, descendat ad
 altare, non desertã dextrã Patris. Verbum, caro
 factum, semel in virgine; verbum Caro, Panem ve-
 rum, verbo carnem, efficit, quotidie in altari. Non
 habitat, in manufactis templis Deus, quod illis in-
 digeat aut capiatur; sed incolit illa, ut nos soletur;
 nec prodibit ad iudicandum ex sacris thecis; sed
 declaraturus est, in illo die, palam suam præsentiam;
 quam nunc speciebus sacratissimis velatam, ita co-
 limus; ut revelationem filiorum Dei expectantes,
 de vera Christi in cælis & in Eucharistiã præsentia,
 hodie potissimum gaudere, atque spes nostras ad
 superna attollere debeamus. Vide Chryf. homil. 5.
 de sacerdotio Homil. 2. ad popul. & homil. 24. in
 1. ad Cor. quibus locis diserte hos terminos necit;
 eundem, simul sedere ad dexteram Patris, & mane-
 re nobiscum in Eucharistiã, docet; addit deinde,
 quòd sicut Elias abiturus, reliquit Elisæo pallium;
 ita Christus nobis corpus suum; ea tamen diverfi-
 tate; quod Elias, pallium dando Elisæo, illo se pri-
 vaverit; Christus dando nobis corpus suum,
 illud idem ad cælos assum-
 pserit.

K 5

MO-